

R 17077.
1.
DISSERTATIO INAUGURALIS
MEDICA

SISTENS

PRIMAS LINEAS AETIOLO-
GIAE CATARRHI

QUAM

UT GRADUM DOCTORIS MEDICINAE

IN

UNIVERSITATE CAESAREA LITERA-
RUM DORPATENSI

RITE ADIPISCATUR

CONSENSU ILLUSTRIS MEDICORUM ORDINIS

LOCO CONSUETO

PUBLICICE DEFENDET

AUCTOR

CONSTANTINUS BRUUN,

FRIDRICSHAVNIA-FENNUS.

BIBLIOTHECA
ACADEMICA
DORPATI

D O R P A T I
LITERIS MICHAELIS GERHARDI GRENZII
TYPOGRAPHI ACADEMICI,
MDCCCXI.

In primatur.

Daniel Georgius Balk,

Medicinae et Chirurgiae Doctor, Pathologiae et Therapiae Professor publicus ordinarius; instituti medicoclinici Director; a consiliis collegiorum Rufficis etc.

D 18478

131012115

~~Can hoc...~~
~~cum...~~
~~affectionibus...~~
~~the...~~
~~examin...~~

Omnes Machaoniae artis cultores omni
aevo summa diligentia in indagandis causis
morborum fuisse versatos, mirum non est nec
cuiquam videbitur, qui in memoriam revo-
caverit vetus illud atque verissimum axioma:
eum qui effectum tollere cupierit, causam
ex qua idem fit natus rite cognoscere de-
bere. Sed prout medicina vel humoralis vel
nervosa vel quaecunque alia praevaluerit,
ita etiam medici, in construenda Aetiologia
morborum, varias ingressi sunt vias, et fa-
ctas experientias potius ad systemata eorum
artificialia, quam ad naturam, accommoda-
runt; hancque ob causam, et quia mens hu-
mana in premendis naturae vestigiis plerum-
que defatigatur et hypotheses portius, lych-
norum instar, arripiat, aetiologia plurimum
morborum adhuc tam manca et incompleta

est. Cum hoc item de catarrho valeat, et cum nostrae imprimis regiones ejusmodi affectionibus vehementer adeo sint vexatae, ut tanto accuratiori mereantur subijci examini, quanto funestiora et dolose quasi irrepentia afferant damna, Aetiologiae catarrhi, non solummodo acuti, febrilis, sed etiam et praesertim chronici, inveterati, primas lineas exponere constituimus, animo proplemata ad experientiae lancem accuratius exploranda, acutiori aliorum judicio subijciendi.

Membranae pituitariae fere omnes cavitates internas corporis humani, quae cum superficie externa communicantur, investiant. Numerus earum permagnus est, sed tamen commode ad duas referri possunt extensiones. Una harum ore, orificio narium et parte anteriori oculorum cum cute superficiei externae cohaeret. Cavitatem oris, omnes cavitates nasales, maxillares et frontales et omnes canales, qui hic aperiuntur, investit. Adnatam oculi conficit, du-

ctuum lacrymalium superficiem internam obducit. Ex cavo palatino, processu in tubas Eustachii et sic in aurem internam emissio, et arteriam asperam cum ramificationibus ubique induens, in oesophagum sese demittit, ventriculum et duodenum investit, ubi duos processus ad ductus hepaticos, ductum pancreaticum, ductum chole-
dochum, ductum cysticum et ipsam vesiculam fellis, emittit. Tandem internam superficiem totius tractus intestinorum vel tenuium vel crassorum usque ad anum, obducens, terminatur. Altera harum extensio-
num orificio genitalium cuti continetur. Hinc, in sexu virili, superficiem internam totius systematis uropoëtici, glandulam pro-
statam, ductus ejaculatorios, vesiculas se-
minales, ductus deferentes et innumerabi-
les ramificationes, a quibus ortum suum
ducunt, induit. In sexu feminino praeter
systema uropoëticum adhuc vaginam, ute-
rum et tubas fallopii, ubi membranae fero-
sae cavi abdominalis adjacet, intus obducit.

Hae membranae multas glandulas, quibus mucus ille fecernitur, vasa exhalantia et re-
forbentia habent. Cum cute, cujus conti-
nationes sunt, magnum continuum, quo
superficies externa et interna totius corpo-
ris investitur, conficiunt. Muneribus mag-
nis organi secretionis et depurgationis in
organismo animali funguntur. Praeterea
earum est, organa interna, a stimulo nimis
vehemente corporum alienorum tueri, et
transitum iis, secreta pituita, faciliorem red-
dere. In structura et munere multa habent
cum cute communia, saltem similia; sym-
pathia inter haec organa igitur quam maxi-
ma est: imminutam per refrigerationem vel
aliam quamcunque causam actionem cutis,
adaucta harum membranarum sequitur.
Ut alia organa depurgatoria et secretoria,
processui vegetationis quodammodo inserviri
videntur.

Cum itaque hae membranae muneri
tanto et tanti magni momenti, processui ve-
getationis praesertim inservienti, praesint,

facile intellectu est, affectiones morbosas totius processus vegetationis facile morbos topicos harum membranarum, et contra, morbos topicos harum, affectiones universales totius processus vegetativi, excitare posse. Hac de parte nos quidem rem considerandam esse putamus, si subverisimilem catarrhi Aetiologiam exponere volumus.

Nomine catarrhi intelligitur affectio morbofa omnium pituitam secernentium membranarum et glandularum earum, qua secretio illa turbatur. Omnes partes, quae hisce membranis indutae sunt, hacce affectione corripì possunt. Profluvia pituitosa, uti symptomata, huc pertinent, etsi jam non semper ab initio morbi adsunt, sed saepissime exacto aliquo tempore, in decursu ejus existunt. Sed tamen semper et praesertim in catarrhis chronicis, inveteratis, si non profluvium, saltem tamen colluvies pituitae, adest.

Praeter jam dictam mucosam colluviem, symptomata, quae has affectiones catarrha-

les comitari solent, pro varia sede, varia sunt. In catarrho narium et communicantium cavitationum e. g. haec praecipua sunt; dolor capitis obtusus frontem ac orbitam praecipue occupans, lacrymatio, oculorum aucta sensibilitas, aurium tinnitus, obstructio narium frequentibus comitata sternuationibus, olfactus imminutus; in catarrho pulmonum ac bronchiarum: tussis initio sicca deinde humida, noctu praesertim ingravescens, difficultas respirandi, dolores acuti interdum obtusi in pectore; in catarrho abdominis et viscerum abdominalium: spasmi, colica, digestio impedita, alvus interdum obstructa interdum nimis aperta, appetentia ciborum plane deperdita, nec non sensus ventriculi inflati aut quasi vacui. In reliquis partibus diagnosis catarrhi profluvio pituitae primum nobis certissima evadit. Quo gravior morbus est, eo sensibiliores sunt partes affectae et mox etiam habent sibi conjunctum statum inflammatorium, quod inde proficiscitur, quod incitamentum grave membranas secernentes

afficiens omnem secretionem omnino tollit
atque igitur quasi polycholiam topicam huic
organo inducit.

In catarrho tria stadia distinguere possu-
mus: in primo statum subinflammatorium
partium affectarum cohibita vel imminuta
secretione animadvertimus, in secundo se-
cretio illa quidem aucta, sed mucus ipse te-
nuis et acris est; tertio denique mucus ille
non tam copiose secretus ac in secundo,
spissior tamen et mitior est. Saepissime
etiam, ut jam supra monuimus, mucus se-
cretus ex corpore non erumpit, sed sese in
cavitates affines effundit, unde symptomata
varia a stagnatione ejusdem exstant.

Praedisponentes hujus morbi causae
diligentissimis medicorum innotuerunt ob-
servationibus, optimeque in tres distribuuntur
partes, quatenus scilicet respiciant aut ipsius
corporis affecti, aut loci climatisve aut de-
nique constitutionis epidemicae indolem.
Quotidiana scilicet experientia constat, ho-
mines laxioris et sensibilibioris habitus, vo-

luptatis libidinisque illecebris affectos, vigiliis nocturnis, lucubrationibus ac morbis praegressis exhaustos, turbulentis animi motibus, praesertim deprementibus et luctuosis, ut metu, moerore, moestitia, fractos, nec non genere victus, insalubribus et corruptis parum nutrientibus, indigestibilibus alimentis, cum partibus alienis, obnoxiiis, debilitantibus immixta et putrida aqua potoria, multis hominibus animalibus et vaporibus corrupto aëre, infirmatos, morbis catarrhalibus facilius quam alii affici. Praeterea omnia, quae imbecillitatem partium supra descriptarum struunt, hisce morbis progignendis egregie favent; eamque ob causam tibicines saepissime catarrho bronchiarum affliguntur. Insuper nonnulli homines, quibus systema vasorum absorbentium jam athenia affectum est, praesertim phthisici et serophulosi habitus, singulari ad catarrhos laborant proclivitate, ut et ii qui inveteratis infarctibus et irregulari motu sanguinis in abdomine affecti sunt. Climatis et loci, ad

catarrhales affectiones promovendas magnam esse etiam vim atque efficaciam, quotidiana docente experientia, omnes pro comperto habent. Loca enim humida, frigida, paludosa vel etiam continuæ injuriæ ventorum humidorum gelidorum exposita, atque crebris aëris vicissitudinibus obnoxia, ubi hyemes humidae et præter consuetudinem calidae regnant et aër raro ventis salubribus depurgatur, catarrhalibus morbis sæpissime vexantur. Quantus denique sit constitutonis epidemicæ ad distribuendas hujus morbi strages effectus, ex febrium catarrhalium, certis anni temporibus, certisque dominantibus epidemiis, frequentia apparet. Interdum omnes morbi plus minusve characterem catarrhalem induunt, quod nobis præfertim hyeme nimis calida et humida gelida aestate atque auctumno deprehendere contigit.

Causas sic dictas catarrhi occasionales exponendo, ipsam ejus genesin pro suo quoque modulo explicare quidem adnisi fue-

runt plerique pathologi; sed has eos cum proxima causa simul confudisse scriptis eorum satis et evidenter elucet. Observaverunt enim, quod et quotidiana docet experientia, plurimos catarrhos e transpiratione cohibita vel, per refrigerationem sudantis inprimis corporis admissam, repente suppressa oriri, atque iis anni temporibus, quibus aër maximas subire solet vicissitudines, multo esse frequentiores, et hinc temere concludere voluerunt, materiam sic dictam perspirabilem velut repressam, ut sibi exitum paret, supra jam significatas petere partes, catarrhis sedes offerentes, eamque sic causam proximam constituerunt. Hanc opinionem suam eo vero potissimum comprobare annisi fuerunt argumento, quod aliarum quoque evacuationum suppressiones eundem producant effectum, sicut plures docent morborum historiae, quod inprimis valet de ulceribus antiquis, fomiculis vetustioribus, exanthematibus praesertim chronicis utpote tinea capitis herpete humida etc.

intempestive sanatis. Ex, non vana quidem, observatione Wintringhami, amputationes artuum affectiones aliquando afferre catarrhales, non, ut ille inde concludere voluit, liquet, imminutam jam, per mutilationem corporis, materiae sic dictae perspirabilis evacuationem, copiosiore emunctione membranarum pituitam fecernentium refarciri, sed solummodo astheniam inde exortam proclivitatem ad catarrhos adaugere ^{a)}. Quam vero dubia, imbecillisque admodum fundamentis innixa sit haec hypothesis, gravissimis et ex nostra quidem opinione, minime refutandis argumentis probavit jam dudum Weikard ^{b)}, quippe qui inter alia, quorum mentionem facit, exempla, maxime memorabile attulit hominis cujusdam qui post vigilias nocturnaue convivium in balneo frigidiusculo, quibus omnibus, omnia necessario consumerentur perspi-

a) Sprengels Pathol. 2r Theil. S. 63.

b) Weikards vermischte medizinische Schriften, 1r Bd. 16 St.

rationis subsidia, per plures dormivit horas, nullas inde perpeffus molestias. Refrigerationes praeterea non modo catarrhos sed innumerabilia alia afferunt damna, igiturque inter caufarum solummodo occasionalium cohortem collocandae sunt.

Peculiarem, alii aëris constitutionem tanquam causam proximam et procatacticam eo accusabant jure, quod febres sic dictae catarrhales, modo epidemicorum morborum longe lateque per populum, sine respectu corporis habitus vel constitutionis grassentur, robustissimique homines saepe ac debiles haud dispari vehementia, atque haud praegressis diaetae erroribus, illico corripiantur. Indubitabile autem hoc phaenomenon aliter atque aliter ex multiformis aëris qualitatibus explicare placuit medicarum rerum peritis. Alii namque, inter quos eminet Hamilton c), quoddam accusarunt in aëre obvolitans contagium, quod aliorum miasmatum instar, speciali quadam agendi ra-

c) Sprengel l. c.

tione, homines corripere, non modo eos, qui ad catarrhales affectus inclinati essent, sed etiam multos alios qui ab iis affectionibus immunes esse videntur, atque hanc suam opinionem variis ut confirmarent argumentis, operam sibi quam maximam dederunt. Sic e. g. celebrem istam anno 1782 grassantem epidemiam catarrhalem, ortum suum e pestiferis desertorum Sibericorum et mediae Asiae halitibus particulis nitrosis et salinis repletis, duxisse perhibent, observationemque^{d)} catarrhos per aestum maris fieri frequentiores, ab ejusdem tum copiosiore exhalatione, contagii semina saepe prognerante lateque spargente, explicantes. Sed cum innumera essent exempla, quae catarrhi absque contagii suspitione genesin probent, summo jure existimare posse putamus, febres istas epidemicas singulare exhibere genus morbi, cui affectiones catarrhales, symptomatum instar, sese adjungunt. In gonorrhoea venerea, e. g. etiam catar-

d) Huxham op. phys. med. pars I. p. 45.

rhys uretrae adest, sed nemo forsan venenum vel contagium venereum hocce, causam proximam ejusdem accusaturus erit.

Magis vero implicatam et ut, nobis quidem videtur, nullis idoneis argumentis aut experientiae testimoniis satis comprobatam Witwer excogitavit hypothesein, vicissitudines scilicet aëris, morbosa in cute producta impressione, spasmus quendam cutaneum, quo perspiratio supprimeretur, simulque causa morbi proxima nasceretur, excitare. Weikard, cui quidem in multis hac in re adsentimus, putat simul, inhalationem vel absorbtionem vasorum lymphaticorum esse accusandam, quippe qua noxiae introducantur in corpus particulae modo catarrhos modo rheumatismos excitantes; quam vero arbitraria et nihil explicans haec sit opinio nemini latet.

Multo magis ingeniosa nobis autem videtur illa hypothesis, innuma attentione et diligentia accuratius pensitanda, qua statuitur, materiae electricae negativae augmen-

tum in corpore, catarrhos procreare, utpote quae multis confirmari potest argumentis ^{e)}. Aucta per enim isolatores electricitas positiva, non modo optinam sistit adversus istos morbos prophylaxin, sed etiam haud spernendum remedium, unde quoque indusia ex lana texta nudo corpori adaptata, frictione in cute excitata, indeque electricitate aucta, haud sine fructu adversus eos morbos adhibentur.

Sed neque haec ratiocinandi formula, ex nostra quidem sententia, ipsam morbi explicat constructionem, sed solummodo causam ejus occasionalem.

Idem quoque valet de observatione Fourcroy, oxygenium, aëri respirabili majori admixtum copia, producere catarrhum, concedendum quamvis sit, homines quosdam sensibiliores dum aërem frigidum et siccum ideoque plus oxygenii continentem respirant, singulari et ingrato quodam affici aëris sensu,

e) Sprengels Handbuch der Pathol. 2r Band.
S. 62.

e causticis et nimis irritantibus ejus particulis fortassis derivando. De oxygenii namque stimulo hocce idem valet, quod de errhinis omnibus et aliis aëri immixtis alienis vaporibus compertum est, iisdem scilicet catarrhalem statum in illis partibus, quibus incitamenta sunt, excitari posse, quamquam causam proximam minime constituent. Sic e. g. dicitur incolas insulae Kilda adventu advenarum perspiratione eorum catarrho corripi et illico non nisi discedentibus iis, liberari ^f).

Alii demum febres catarrhales epidemicas a vermibus minutissimis invisibilibusque aquae et aëri immixtis derivandas explicare sunt adnisi; hanc vero opinionem, utpote idoneis argumentis et experimentis haud confirmatam, eo majori jure in dubium vocare convenit, quo parcius jamjam fieri coeperit Aetiologia verminosa. Negandum quamvis non sit, vermes, uti causae occasionales aut stimuli accessorii, in intesti-

f) Sprengel l. c.

nis, etiam interdum catarrhum harum et per sympathium etiam aliarum partium excitare posse.

At genesin morborum accuratius pensitantes, facile perpecturos esse arbitramur, causarum occasionalium notitiam ad illam intelligendam minime sufficere, nisi simul mutationes internae in ipso corpore, ab illis deducendae, considerentur, nam hae causam proximam, ideoque etiam constructionem morbi, constituunt. Hinc quoque apparet quam manca et incompleta adhuc sit catarrhi Aetiologia, dum causas tantum attingat praedisponentes et occasionales, ipsam vero genesin minime explicet. Aliam igitur nobis hac in re ingrediendam esse viam, facile intelligimus, si verisimilem causam proximam detegere volumus. Unde vero haec petenda esset, aequae non pateret, nisi accuratiori et majori notitia vasorum absorbentium et muneris eorum, lucem nobis hac in re acquisissemus. Contigit nobis saepe observare, pedibus per aliquot tempus

aqua immerfis, fluxionem capitis seu catarrhum narium vel bronchiarum vel etiam aliarum partium succedere; quod quidem phaenomenon manifeste nobis explicatum videtur, dum monemus, vasa lymphatica, partes affectas perreptantia propter auctam in pedibus absorbtionem, suo muneri perfungendo non sufficere. Hinc ad eam commode pervenire conclusionem arbitramur, imminutam vel impeditam, saltem in respectu ad exaltatam actionem vasorum exhalantium vel potius glandularum pituitam fecernentium, vasorum mox dictorum lymphaticorum absorbtionem, simul cum aucta sensibilitate membranae pituitariae partis affectae, quaecumque ejus fuerit demum causa occasionalis, causam sistere affectionum catarrhalium proximam. Sed ut vero haec opinio evidentior certiorque evadat, videndum nobis jam est, quatenus non minus symptomatibus quam causis praedisponentibus et occasionalibus nec non medendi methodo respondeat; nam hac solum ratione

habita Aetiologiam nostram confirmare possumus.

Quod igitur ad symptomata catarrhi attinet, facile perspicendum putamus, impeditam in partibus affectis vasorum lymphaticorum actionem, stimulo non resorbtae pituitae, congestionum tantas struere moles, quantas ex his impedimentis cum non immutato vel etiam aucto humorum affluxu comparatis exspectare possumus, eaque ratione symptomata fieri plura et graviora, quo vehementiores insignioresque ortae fuerint congestiones, nam hae sensibilitatem et irritabilitatem partium affectarum adaugent. Quae vero quantaque ad secretiones non modo augendas sed etiam mutandas, sit vis atque efficacia congestionum, quantaque inter inflammationes et congestiones sit cognatio, omnibus in promptu est, et a pathologiae scriptoribus jam dudum accuratius explicatum, quam ut nostra egeat illustratione, Hinc etiam liquet, incitamenta, cujuscunque generis, vel mechanica, vel chemica vel

dynamica, catarrhum excitare posse, modo non actionem vasorum lymphaticorum, absorptionem, eodem gradu exaltent ac irritabilitatem actionemque glandularum pituitariarum. Sic e. g. calculis et vermibus, catarrhi partium, quibus continentur, generari solent. Similitudo inter inflammationes et catarrhos, saltem in initio, uti jam supra monuimus, quam maxima est, ita ut catarrhus gravis omni jure subinflammationis nomine (Halbentzündung) insigniri posse, nobis videatur. Hoc tamen discrimen interest, quod in catarrhis glandulae pituitariae et vasa serosa, in inflammationibus autem magis vasa sanguifera afficiuntur; igiturque tumor, quem etiam saepissime in catarrhis animadvertimus, non tam calidus et tam rubicundus est ac in inflammationibus. Varia symptomata, quae catarrhos comitantur, e stimulo accumulati et forsan jam degenerati aut in cavitatibus stagnantis pituitae insuper declarantur. Symptomata catarrhi, ad hanc normam explicata, nostrae

opinionem de Aetiolegia ejusdem quam maxime convenire, omnibus, haec probe pensantibus, facile esse perspectu, nos quidem putamus. Cum ex hac vero jam appareat, phaenomena catarrhi, per suppressam vasorum lymphaticorum actionem, illata congestionem, dilucide posse explicari, inde quoque facile intelligitur eo grandiores magisque complicatos fieri congestionum effectus, quo plures ad eas provocandas contulerint causae, tam occasionales quam praedisponentes. Adnotandum autem est diversae eas esse indolis, ut mox demonstrabitur, in eo tantum similes, quod actionem venarum lymphaticarum partium, quae catarrhis corripiri possunt, supprimant, aut saltem in respectu ad affluxum humorum, adimant. Alique namque harum causarum, vi sua stimulante agentes, tantum ad haec loca concitant humorum affluxum, congestionibus inde abortis, ut vasa lymphatica superfluum pituitosum laticem nequeant absorbere; hujus generis sunt non solummodo quae sensi-

bilitatem et irritabilitatem hujus partis ad-
 augant dynamice agentes; sed etiam quae-
 vis irritantia externa mechanica. Conge-
 stiones, a stimulo quodam permanente pro-
 fluxae, pessimae igitur indolis catarrhalia
 vitia producant, qui pertinaciores sunt,
 quam si ab alia quacunque causa originem
 suam deduxerint et inprimis quia vis et effi-
 cacia hujus stimuli permanentis, ad excitan-
 dos motus spasticos, quasi novos infirmita-
 tum fontes, haud parva est. Aliae porro
 catarrhorum causae vi sua irritabilitatem
 atque sensibilitatem vasorum lymphaticorum
 infringendi, facultatem eorum forbendi mo-
 do supprimunt modo adimunt indeque facil-
 lime explicari posse putamus cur gelidus
 aër, corpore quamvis optimo tecto, eam-
 que ob causam sudante, pulmonibus inspira-
 tus, vi sua constrictionem quasi in vasibus
 resorbentibus excitandi, igiturque absorptio-
 nem majori quantitate exhalati laticis mu-
 cosi supprimendi, gravissimorum catarrha-
 lium morborum genesi faveat. Alii demum

ex his praedictis causis, resorbtionem in reliqua corporis superficie adaugendo, in altera adimunt. Omnibus enim compertum est, nimis exaltatam actionem unius partis imminutam alius, ei in munere et structura similis, producere. Hinc facile intellectu putamus, cur, quacunque de causa, suppressa perspiratio cutanea interdum tam graves morbos catarrhales procreare possit. Ex ista autem diversa causarum agendi ratione, diversam quoque procreari catarrhi formam, merito arbitramur, quod, ut saepe comperimus, aeris injuriis minime assuefacti, multumque irritabiles homines, utpote foeminae delicatulae et sensibilitate nimis aucta laborantes, aëris frigidiusculi respirationi quantisper expositi, subito Coryza haud levi corripiantur, contra in conclavi tepidiori versantes, ex inopinata corporis denudatione vel ex alia quacunque causa refrigerationem perpeffi, gravedinem potius, quam destillationem, sibi contrahant. Quae enim causae gaudent facultate, organa respirationis stimu-

landi, acutiorem vehementioremque plerumque excitant catarrhi speciem una cum destillatione modo mitis modo acris et corrodentis pituitae, veramque hoc pacto accendunt a Reil primum ingeniose descriptam febrim vasorum lymphaticorum ^g). Contra vero, causae illae, quae vim et efficaciam vasorum lymphaticorum infringunt hebetioremque reddunt, chronicos inveteratosque saepissime producant catarrhos. Omnino catarrhi chronici et inveterati multa habent similia cum hydropse, ambo vero morbi eo solummodo differunt; quod in illo colluviem mucosam, in hoc vero colluviem aquosam, serosam, animadvertimus, causa proxima in utroque vero morbo una eademque est, imminuta vel impedita resorptio exhalati vel secreti fluidi.

Quum vero plures harum causarum in catarrhi genesi, uti quotidiana docet experientia, saepissime concurrant, facile intelli-

g) Reil's Fieberlehre. 2r Bd. S. 226.

gitur et per se satis patet, eo vehementiores fieri affectus et symptomata, quo magis vatorum lymphaticorum, ad saepe jam nominatas partes pertinentium, actionem retardarint vel cohibuerint colluviemque pituitosam ideo in illis adauxerint. Hinc quoque elucet plurimas partes simul catarrhalibus affectibus corripí posse, ut e. g. in fluxu coeliaco, quem summo jure etiam huc referendum putamus, in quo non solummodo tractus intestinorum et ventriculus sed etiam ductus choledochus, ductus hepatici, et aliae in hacce regione jacentes et membranis pituitariis gaudentes partes, affectae sunt.

Ex nostra catarrhi Aetiologia insuper, diversas illas ab autoribus allatas febrium catarrhalium complicationes, commode explicari posse putamus, quia scilicet harum affectionum constructio non impedit, quo minus etiam aliae simul consurgere possint causae, ex quibus varia alia vitia oriuntur. Catarrhi in initio, uti jam supra monuimus, sibi adjunctam habent constitutionem cor-

poris inflammatoriam, hanc igitur non ut complicationem hujus morbi, considerandam esse merito existimamus. Cur autem Phthistici ac scrophulosi praesertim etiam frequentius catarrhali morbo laborent, aliunde quidem non est repetendum, quam ex eo, quod irritabilitas systematis lymphatici apud ipsos magis sit concitata et irregularis, eamque ob causam, turbis ut suscipiamur, frequentius exposita. Unde autem eveniat ut catarrhales affectiones certos morbos uti morbillos, scarlatinam etc. ut symptomata constantia comitentur, difficilius explicatu esset, nisi supponamus ^{h)} vasa lymphatica etiam in his morbis graviter affecta esse, indeque ob affinitatem, cum catarrhalibus affectionibus complicatos esse.

Curam denique hujus morbi respicientes, haud levia inde quoque ad confirmatio-

h) Hancque suppositionem non tam vanam atque arbitrariam, ut forsan videbitur, esse, inde probatur, quod jam dictos morbos, uti vitia secundaria saepissime affectiones systematis lymphatici, hydropes, sequantur.

nem nostrae opinionis hauriri putamus argumenta. In confesso enim est simplicem catarrhum initio, antequam asthenia praevaluerit, nulla alia desiderare remedia, quam quae actionem vasorum absorbentium in partibus affectis, ad aequilibrium quasi cum humorum affluxu restituant, et incitationem stimuli, qui hasce congestiones produxit, imminuant, constat autem etiam aequilibrium hocce vel sola obtineri abstinencia, nisi aut valde vehemens sit malum aut admodum debiles irritabilesque fuerint aegrotantes. Quod autem robustiorum hominum quidam a catarrhis, quamvis vehementioribus, facile sese expediant, alii vero, licet iisdem observatis, cautelis, pertinaciam eorum experiantur, hoc quidem inde explicandum putamus, quod restitutio negotii resorbendi facilius illis quam his succedat, vel etiam quod in his systema vasorum absorbentium, jam antea, asthenia laboraverit. Pharmaca insuper a medicis contra hunc morbum commendata, licet eo consilio ut

turbas in actione systematis absorbentis tollant, vix proponantur, eundem tamen procreare effectum, facile dabit qui laxantium, diaphoreticorum, demulcentium, derivantium, emeticorum etc. ad hunc obtinendum finem utilitatem non ignoraverit. Ubi vero aliae morbosae affectiones, catarrhalibus complicatae fuerint, harumque constructionem ingressi facile patet, praeunte experientia, ejusmodi, sive methodo sthenica sive asthenica, prout diversi casus postulare videntur, adhibenda esse remedia, quae istas affectiones tollere, viamque, ad systematis lymphatici restituendam actionem, parare possint. Balnea atque fomentationes pedum hac solummodo ratione vitii catarrhalibus profunt, quod aucta balneorum et fomentationum ope repletionem vasorum absorbentium partium affectarum, major eorum excitetur reactio, functiones eorum, quasi consopitas, restituendi. Imminuendo resorptionem in aliqua parte, eam in alia ideoque etiam in affecta augere, et sic cau-

fam
toll
chr
auc
qua
alia
tia
refi

sam proximam catarrhi, morbumque ipsum tollere possumus. Quia autem in catarrhis chronicis et inveteratis colluvies pituitosa et aucta secretio ejusdem, asthenia et laxitate quam maxima partium affectarum insuper aliatur; dictis remediis adhuc hic roborantia adjungenda sunt, quo humorum affluxui resistere possint.

T h e e s.

I.

Non est hypersthenia vera et absoluta.

II.

Omnia medicamenta solummodo mutationibus materiae organicae, vim suam exerunt.

III.

Methodus sedativa nomen methodi peculiaris, propriae, non meretur.

IV.

Et si omnes perturbationes animi in mutatione corporis ultimam suam habent causam, saepe non, nisi remediis psychice agentibus, curationem morbi sperare possumus.

V.

Phthisis pulmonum saepissime e neglecto et male sanato catarrho harum partium oritur.

VI.

In morbis infantum omnia narcotica plus minusve fugenda sunt.
